

ingenio, Ἀθάμας ὁ Αἰόλος, τῷ Ἑλλήνος, ἐβασίλευσε τῆς Φρυγίας. Aldus autem ediderat e suo Codice, Ἀθάμας ὁ σόλος τῷ Ἑλλήνος ἐβασίλευσε τῆς Φρυγίας. Quae vitiosa scriptura, quam Phasianinus integram esse sanamque putaret, non potuit non parens existere atque mater infelix malae et ineptae interpretationis, *Athamas Graecorum exercitus in Phrygia praefectus erat.* Sed haec ipsa res, haec ipsa oculorum manuumque librariorum stulta incuria, impedimento fuit, ne reperiretur ab eodem Phasianino sententia Fabulae de Claua Herculis, et loci Narrationis de Phaone, nauiculario, eius, quo Sappho celebrasse hominis nomen carminibus traditur suis. Nam posteriore quidem loco *) in Aldi Codice scriptum extabat, ἐφ' ᾧ τὸν ἔρωτα αὐτῆς ἡ Σαπφὼ πολλάκις αἶμα ἐποίησε sed prior ille locus **) pluribus etiam et maioribus scripturae mendis corruptus in eodem libro Aldino reperiatur, ὁ δὲ Φυλίτης εἰ καὶ ἰδιώτης ὑπῆρχεν ἐπινοήσας ἔκαυσε. Quam verborum seriem omni sensu carere, et per se apparet satis, et abunde arguit interpretatio eorum Latina Phasianini. Posterioris enim loci verba ita interpretatus est vir doctissimus, *Ipse igitur Philytes dictus, etsi priuatus humilisque sortis existeret, cogitans tamen, quorsum illa Hercules gestaret, combussit; sed locum priorem vertit hoc modo, Cuius amore quum capta Sappho esset, sese interimens, amorem illum in sanguinem moeroremque conuertit.* Quae quidem monstra interpretationis quem non doceant, quam necessaria, quam salutaris, quam benefica, censenda sit opera illorum Grammaticorum, qui in emendandis scriptorum veterum libris versentur? Quem non admo-

*) C. 49, 3

**) C. 37